erunt declinationis. ut haec ornus hui orni. haec fagus hui fagi.
haec pirus piri. haec cupressus cupressi. Excipiuntur quercus. laurus.
pinus. cornus. ficus. quae tam secundae quam quartae inueniuntur. Cicero in
orto graphia. ibi quercorum rami ad terram iacent. ut sues quasi caprae
extimis glande pascantur. Uirgilius in IIII. arma sub aduersa posu
it radiantia quercu. Statius in VII. thebaidos. cornu depressus achiua.
Uirgilius in XI. ferro sonat icta bipenni fraxinus euertunt actas ad si
dera pinus. Cicero in II. de oratore. cum familiaris quidam quereretur
quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu. amabo te inquit da mihi
ex ista arbore quos seram surculos. Martialis in epigrammatibus. dicemus
ficus quas scimus in arbore nasci. in uero in productam. us. terminentur
ablatiuus. addita tis. faciunt genetiuum. ut haec seruitus hui seruitutis
uirtus uirtutis. salus salutis. senectus iuuentus iuuentutis. Excipi
untur tellus telluris. palus paludis. quae duo non habuerunt. t. in geneti
uo. palus tamen etiam correpta. us. inuenitur apud horatium de arte poeti
ca. debemur morti nos nostraque. siue receptus terra neptunus clas
ses aquilonibus arcet regis opus sterilisque diu palus aptaque remis.
Alia autem omnia eiusdem generis id est feminini in. us. correpta desinentia quar
tae sunt declinationis. ut haec nurus hui nurus. haec tribus hui tribus. haec
manus hui manus. Ex quo compositum eius declinationem sequitur. hic centi
manus hui centimanus. horatius in II. sermonum testis mearum centimanus
gigas sententiarum. haec anus hui anus. Nam terrentius contra hanc
regulam in heauton timorumeno dixit anuis more antiquo. Ipsam offen
dimus mediocriter uestitam ueste lugubri anuis causa opinor
quae erat mortua. Excipitur haec aluus hui alui quod ueteres frequen
ter masculino genere protulerunt. Accius in annalibus quam fragi
lissimus aluus. Cato ad filium ex dolore ex febri. exiti ex medicamentis
bibendis ex cataplasmatis ex aluo lauando. Cinna in zmyrna at sce
lus incesto cum crescebat in aluo. Itaque secundum hoc genus

License: cc-by-nc – [sine loco], codices restituti, , BnF_Latin_10403_9v – Priscian, Institutiones grammaticae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-o6cy/2061/25586)